

Platonem ipsi demum efficiunt. Ex Philodemi *περὶ εἰσεβείας* p. 61 Gomp. *Ἀκονσίλαος δὲ οὐχ Χάους πρώτου τάττει (φησι)* nihil noui discimus: scholiastae autem Theocritei ad 13, 1 *Ἀκονσίλαος Νυκτὸς καὶ Αἰθέρος (νιὸς Ἐρωτα λέγει)* error est manifestus, quem tamen corrigendo amouere non liceat¹⁾.

Ab Eudemo maiore sane temporis interuallo distant reliqui de Acusilai libris testes Didymus Strabo Iosephus Apollodorus personatus alii saeculo altero non superiores, quo Sabinum Hadriano imperante commen-tariis illos illustrasse testatur Suidas. Sed illorum indicia ut partim certe ad antiquiores fontes redire probabile est²⁾, ita nihil usquam in iis reperitur, quod iustum dubitationem moueat. Nam quod ea cum Hesiodi memoria, ad quam Acusilaus ita se applicauit, ut carmina eius in prosam orationem conuertisse uideri posset teste Clemente Alexandrino Strom. VI, 2 p. 752, non saepius consentiunt quam ab ea discrepant, facillimam inde habet explicationem, quod in his potissimum causa exstitit logographi nominandi. Neque iam mirabimur notum illud Iosephi contra Apionem I, 3 testimonium *ὅσα δὲ διωρθοῦτο τὸν Ἡσίδοντον Ακονσίλαος*: quibus quae praecedunt *ὅσα μὲν Ἑλλάνικος Ακονσίλαος περὶ τῶν γενεαλογιῶν διαπεράνηκεν*, iis fidem librorum augeri potius quam imminui appetet. Restant quae in

1) Non minus quam in hac quaestione falsus est Frickius quod seriem illam regum Atticorum, qua a Cecrope ad Demophontem duodecim nomina numerantur, iam ab Acusilao constitutam esse sibi persuasit. Kirchhoffii quidem sententia ne Hellanicum quidem illam nouisse putantis Hermae n. VIII p. 184 sqq. non maiori dubitationi obnoxia est quam Brandisii de temporum graecorum antiquissimorum rationibus p. 8 sq., quem Frickius sequitur. Sed de Acusilao nihil huic colligere licuit ex Eusebii præpar. euang. X, 10, 7 p. 489 (fr. 14) *ἀπὸ Δημόσιου τοῦ παρ' ἐπείροις αὐτόχθονος πιστεύθεντος, τῷ οὐ γέγονεν δὲ μήτες καὶ πρότοις ἐν τῇ Αττικῇ κατασκηνώσας Φορουρίων Αργείων βασιλεύοντος, ὃς Ακονσίλαος ἴστορει, μέχρι τῆς πρώτης διαμεταάδος — ἐτη συνάγεται χίλια εἴκοσι ὡς καὶ τοῖς προειρημένοις ουρανοῖς καὶ τοῖς ἔξης δειζθήσεται.* In quibus Acusilai mentionem ad sola præcedentia, non ad annorum cumputationem referri totum locum insipienti facile patebit. Simili interpretandi uitio laborant quae Frickius p. 6 sq. Brandisio Munychum inter Atticos reges ab Hellanico relatum esse propter fr. 71 statuenti obloquitur.

2) Strabonis eam partem, qua Acusilai mentio inicitur, Apollodori commentario deberi quo is nauium catalogum illustravit, satis probasse uidetur B. Niese n. musei Rhenani u. XXXII p. 268 sqq. nec minus credibile bibliothecae auctorem, quae cum Hesiodeis conspirant ut tamen in singulis haud paucis ab eis dissentiant, ab Acusilao petiuuisse ipsum, quae Roberti est sententia de Apoll. bibl. p. 69 sqq.